

unde, citra Violentiam, ne à Deo quidem destrui potest, licet absolute possit. Gratuita, quæ resultat ex mera Dei gratia & decreto, eo videlicet, quo Deus statuit Ens aliquod perpetuò ab interitu vindicare, incorruptum. Animam nostram hoc, quem ultimò diximus, modo immortalem esse, nullus facile hodiè negaverit, nec *Burserus* etiam, licet ille aliis loquendi modis id ipsum exprimat. Aliter quidem senserunt antehac illi, qui *Damasceno* Thnetopsychitæ nominantur, animas hominũ, pecudum similes, cum corporibus interire docentes. Et Arabici, qui itidem cum corporibus animas perire tradiderunt, verũ putantes, illas iterum extremo judicio esse resuscitandas, de quibus *Eusebius* & *Nicephorus* videri possunt.

¶ 31. Nos non tantũ hoc ultimo, verũ etiam secundo modo immortales animas esse probamus (1.) ex adpetitu innato, quem omnes habent ad perfectam beatitudinem obtinendam; qui vitam inculpate instituentibus frustraneus non erit; at esset, si unã cum corpore Anima extingueretur. (2.) Videmus propter hanc beatitatem nonnullos ex rectæ rationis dictamine delicias hujus Mundi, Voluptates & mundanam omnem felicitatem, commodum, imò Vitam ipsam contemnere, bonisque ea propter infelicia quæque, dum interea malis benè est, obtingere; quibus, Bonis scil., si nihil post hanc vitam expectandum esset, sceleratorum quisque felicior esset, quod omninò (3.) contra Dei esset Justitiam, quæ pœnas malis, Bonis præmium attribuit. Præterea (4.) animæ immortalitatem ipsius à subjecto independentia arguit, atque incompositalitas, per quam nihil habet sibi contrarium, quod ipsam destruat. Quæ hïc de Luce & Sonni specie opponuntur, apud plurimos resoluta sunt, Vid. *Thomas Quæst. l. 14. de an.* & ex hoc *Compton Disput. 10. de an. sect. 1. 2. & 3.* qui in propositã quæstione iisdem argumentis utitur, hoc ex *Conimbricensibus* addens, quòd multi non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter patiantur Ecstasin, quòd *Socrati* sæpè, *Platoni*, *Trismegisto* aliisque accidisse perhibetur; & refert de quodam sibi noto *B. Augustinus l. 14. de Civ. DEI* quòd pro lubitu naturaliter in ecstasin raptus sit, adeò ut nec arma nec ignem senserit. Ex quibus inferre licebit, animam independentem esse à corpore, & sic

subla-